



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

VI. Ordo recitandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

nec Dominicæ Officium frequenter omittatur, nec quotidie Feriale Officium pro Sancti breuiori commutetur. Ratio est, quia præcepti substantia Officij est Canonici recitatio, recitari autem hoc, aut illud, accidentale reor. Verum excepti duplicis Paschatis Matutinum; quia licet Canonici Officij ratio in omnibus militare videatur vsus iustè contrarium obtinuit, quod speciale priuilegium sit illis solemnitatibus concessum.

40. *An aliquando nec venialis erit culpa, vnum Officium pro altero recitare?* Non delinqueret venialiter, qui id iusta ex causa præstaret, v. g. si alterum ex charitate iuuaret; si grauioribus occupatus temporis laboraret inopia; si ex affectu, aut deuotione speciali illud vellent semel, aut bis in anno Diuo alicui libere obsequium.

*penite cor bes*

C A P V T V I.

*Ordo recitandi.*

41. *AN sit piaculum, ordinem Officij variare?* Venialis culpa est, vel à minoribus Horis incipias, & termines in Matutino, vel lectiones Psalmis præponas, vel sequentis diei Matutinum recites priusque præsentis obligationem expleueris in parte, aut in toto.

42. *Quodnam peccatum est Sacrum celebrare ante Matutini recitationem?* Si adest causa, nullum; si non adest, solummodo veniale erit; quia semper aliqualis negligentia admiscetur.

43. *Delinquit ne, qui Officij incepti aliquam horam, aut Psalmum interrumpit?* Si diuidas vnum Nocturnum ab alio iuxta pristinum vsus, non delinquis. Culpabilis interruptio eiusdem Horæ aut Psalmi, aut lectionis, &c. Si notabilis, sit venialis erit; si adest causa, minimè. Laudes possunt, adhibita Matutino Oratione diuidi. At interruptio Nocturnorum trium horarum spatium non excedat, si velis à veniali culpa abstinere. Porro nullam eiusdem diei interruptionem quantumuis longam mortalem esse reor.

44. *Exprime obligationem eorum, qui priuatim Officio recitando dan' operam.* Tenentur recitare integrè, intelligibiliter, expressè; nec enim mentalis pronuntiatio sufficit, vt falsò aliquis olim asseruit. Extra Chorum Officium paruum, & Defunctorum obligatorie non recitatur, secus Litanæ, quando

R r 5 proce



634 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*  
processioni quis non interfuit; quia expressè præscribitur  
in Rubrica; vnde improbo Neoterici docti aliàs, & erroniam  
sententiam asserentis haud necessariò Litanias priuatim re-  
citandas.

## CAPVT VII.

### *Peccatum non recitandi.*

45. **Q**uantum peccatum est semel totum Officium omittit  
Mortale, sicut die præcepto non ieiunare; quia præ-  
ceptum illud ex genere suo obligat ad mortale. *No. abilem  
partem omitte.* Mortale etiam est; quia grauis materia.

46. *Partem Officij notabilem assigna.* Quælibet Hora respec-  
tu totius Officij, cuiuslibet Horæ dimidium. Matutini qua-  
tuor Psalmi longiores, vel tres Lectiones cum Responsoris.  
Hinc colligo tres Psalmos breuiore, tres sine Responsoris  
lectiones materiam paruum esse, & eius omissionem culpa-  
bilem tantum venialem futuram.

47. *Erit ne multiplex peccatum, totum septem Horarum  
Officium omittere?* Vnicum quidem peccatum, sed grauius  
vnius Horæ omissione; quia vnicum totius Officij præcep-  
tum est.

48. *Quandonam hoc peccatum contrahitur ob Officij omis-  
sionem?* Tunc consummatur, quando quis non recitandi ani-  
mum admittit. Sed si rem spectes, quando terminatur dies  
nec subest tempus recitationi. *Incipio ante diei terminum.* Si  
duodecima exaudiat Hora ante Officij terminationem  
cum non multum superest recitandum, implet præceptum.  
Quod si bona fide iudicasti tempus sufficiens adesse, et si sub  
initium Officij dies terminetur, non peccasti, & præceptum  
impleuisti. *Duo sunt Horologia.* Segnius prius insonet, quam  
terminatum iudices diem.

## CAPVT VIII.

### *De Attentione.*

49. **A**n ad recitationem Horarum interior requiratur at-  
tentio? Probabile est, necessariam non esse, modo in-  
tentio adsit orandi; quia Ecclesia internum actum non potest  
præcipere.